



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

Decollatio S. Joannis Baptistæ. 29. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

2. Post longum & anxium certamen tandem gratia manus dedit Augustinus, exiit se laqueis errorum, & vitiorum, & ad extremum usque spiritum amicum & filium gratia probavit se se. Si peccantem Augustinum imitatus fuerim, quare non imitor poenitentem? quid expecto? moriendum est, & dignitatibus divitiisque vale dicendum. Heu! quid me fiet, si, cum Deus me vocabit ad reddendam rationem vitæ meæ, fuero gratia destitutus? *Omni bus laboribus nostris quò ambimus pervenire? buid querimus?* S. Aug.

3. S. Augustinus fuit quoque Doctor gratia, cujus partes acriter suscepit adversus hæreticos; docuitque naturam & mirabiles effectus ejus. Doce alios qua ratione possint Dei gratia reconciliari. Esto gratia discipulus, si Doctor esse non potes. Audi quid loquatur in te Dominus: *Si non inanem feceris gratiam, multiplicabitur tibi gratia.* S. August.

DECOLLATIO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

29. Augusti.

*Herodes misso Spiculatore precepit
afferrī caput ejus in disco. Marc. c. 6.*

Natalitias hoc die herodes epulas dedit, quas rectiùs funebres vocabimus. Aut enim nullas, aut istas sol fugit, quas sanguine humano heu! nimium nobili crudelitas condidit.

divit. Nam cum ad reliquas mensæ illecebrosæ
 filia etiam accessisset, & saltu leviculo terram
 plausisset, ecce tibi præmium pedes caput
 Maximi vatis JOANNIS abstulerunt. Nec san-
 erat, per mensam tam delicatum ferculum
 ambulare, & oculorum gulæ facere satis. Et
 traxit conjux adultera palato suo linguam (quod
 lam gratissimam Suadæ sedem) & mille nunc
 conviciis, nunc acu mille locis fodit scelestam
 Sed profectò pessimè acu rem tetigit. Nun-
 quam enim magis viva etiam crudelitate
 Regis, quàm tunc fuit locuta, & meritò de-
 inde Divinum Verbum loqui tyranno renu-
 cujus vocem decollaverat. Ipsa saltatrix
 pœnas si seras, serias certè luit, quando astra
 etas gelu aquas transiens, ruptâ sub pedibus
 impiis glacie, abscindendū crustis caput de-
 etiam tunc portentosum in modum sub-
 liens, & choreas, quibus viva afflueverat, mor-
 tua etiam continuans, manifestum omnibus
 mortalibus documentum, quàm non multo
 saltu opus sit, ut in orcum devolvamur. At
 dicet non nemo, ergone odiosâ pede calcata
 terram non liceat? imò verò calcanda illa est
 & pede utroque, sed graviore, & cui
 cœlum non orcus arrideat.

Ex Baron. & Martyr.

S. Joannes Martyr Castitatis
Charitatis & Veritatis.

1. S. Joannes vivens & moriens probavit se Martyrem castitatis, quam ut illibatam servaret, tertio ætatis suæ anno fugit in solitudinem, ubi duro austeritatum Martyrio corpus suum maceraverit. Si perspecta tibi esset virtutis pulchritudo, eam studiosius conservares; non in frequenti hominum turba hunc florem invenies: fuge in solitudinem: stude mortificationi. Si minus possis ut Joannes mori pro castitate, potes certè vivere in castitate. *Et majus est vivere in castitate, quàm pro ea mori.* Tertull.

2. S. Joannes fuit Martyr Charitatis. Etenim propter animarum studium reliquit solitudinem: venit ad Herodem, omni ope conatus est eum ab iniquitate & turpitudine revocare, tametsi prævideret mortem fore præmium laborum. O te felicem! si ut Joannes sanguinem profundere posses pro salute proximi: si hoc præstare nequeas, saltem illacrymare alienis peccatis, & profusis liberali manu divitiis, peccatorum conversionem promove.

3. Fuit quoque Martyr veritatis, quam nimirum vitæ suæ anteposuit, fidenter Herodem increpans, quod adulterium patraret. Tu nec unquam committas ut ignavo assentationis obsequio blandiaris vitiis aliorum, maximè cum tuum est eos corrigere. *Amant homines veritatem lucentem, oderunt redarguentem.* Aug.